



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs X. De causa finali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)



TRACTATUS X.

De Causa Finali.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit Causa Finalis?

I. **F**INIS ab Aristotele, & reliquis Philosophis definiri solet: cuius gratia, vel propter quem aliquid fit, ubi animaduertendum est, ly *fit* intelligi non debere de actione physica, vt communiter intelligi consuevit: Deus enim semetipsum propter se, & gratia sui amans se sui amoris finem sibi praeiungit: haud secus ac homo semetipsum propter se amans amoris sui finis est: at amor, quo Deus semetipsum absolute amat, physice fieri nequit; imò amor eius relatiuus, quod plus est, fieri nequit, quantumuis produci possit: ergo ly *fit* in definitione finis de actione physica, & propria intelligendum non est, sed de sola actione intentionali, & affectiua; ita vt definitio sit haec: Finis est, propter quem aliquid amatur: quo sensu intellecta Deo, & creaturis vniuersis, & propriè conuenire poterit. Finis diuidi consuevit in finem *qui*, & finem *cui*: finis *cui* est persona, cui bonum aliquod cupimus: finis *qui* est bonum ipsum, quod alicui cupimus: vnde cum amico aegroto salutem cupio, amicus est finis *cui* eiusmodi desiderij, & sanitas finis *qui*. Doctores Nominales censent, solum finem *cui* propriè finem esse; quia id est propriè finis, in quo voluntatis intentio sistit, & qui propter se, & non propter aliud amatur: at intentio voluntatis non sistit in fine *qui*, propter se, sed propter finem *cui* amatur: ex solo enim amore, & complacentia amici salutem ei exopto, alioquin non magis salutem, quam aegritudinem desideraturus. Verum finem *qui* propriè finem esse Aristoteli, & reliquis Philosophis magis consentaneum est; apud quos nihil frequentius, quam finem esse primum in intentione, & vltimum in executione: & formam esse finem generationis, non verò ipsius generantis: quae, & similia de solo fine *qui* intelligi possunt. Ad rationem oppositam respondeo, intentionem voluntatis sistere in fine *qui* velat exequibili; eumque propter sui, & non propter alterius executionem amari: quod satis est, vt in suo genere finis esse, ac dici possit.

2. Illud autem rationi contrariè detulerim, finem *cui* principaliorem esse, ac magis, & principalius amari, quam finem *qui*: quia hic, quantumlibet propter se in suo genere ametur, tamen absolute, & simpliciter propter finem *cui* amatur: cum tamen finis *cui* propter finem *qui* nequaquam ametur; nec enim amicum esse amo, vt sanus sit, sed eum sanum esse cupio, vt absolute sit, & viuat. Dices: cum per actum spei summum bonum mihi desidero, summum bonum est finis *qui*, ipse verò sum finis *cui*: at per eum actum summum bonum à me magis amatur, quam ego met ipse, & non è conuerlo: aliàs si is actus bo-

num creatum magis, quam summum, & increatum bonum amaret, inordinatus esset. Verum quemadmodum actus misericordiae verbi gratia bonum creatum actualiter, & explicitè attingit, nimirum subleuationem alienae miseriae; summum verò bonum non nisi habitualiter, & implicitè attingit, quatenus in illud per actum charitatis à se distinctum referibilis est; ac proinde magis amat bonum creatum, quam increatum; & tamen ob id inordinatus non est: ita similiter actus spei, quo summum bonum mihi cupio, atque in votis habeo, inordinatus non erit; quamuis per eum me metipsum magis, quam summum bonum amem.

3. Finis secundò diuidi consuevit in finem intrinsecum, quem videlicet actus immediatè attingit; & extrinsecum, quem actus non immediatè, & per se, sed medio alio actu, aut à se deriuato, aut se priori, siue principio attingit: quid autem sit, vnum actum ab alio oriri, & dirigi inferius ex professo ostendam. Hinc aliqui deducunt cum P. Ripalda lib. 3. de ente supernaturali disp. 50. sect. 2. actum bonum, & supernaturalem etiam à fine aliquo turpi extrinsecè volito simpliciter vitari posse: vt cum quis ex intentione vanae gloriae venialiter mala ad confessionem sacramentalem accedit: in eo enim euentu confessio sacrilega nullo iure censenda est, atque adeo bona, & supernaturalis est; cum tamen à fine inanis gloriae quem extrinsecè respicit, propriè mala & turpis non esse nequeat. Quod autem communiter responderi consuevit, in ea hypothese si solam confessionem externam extrinsecè vitari, & ob finem extrinsecum vanae gloriae fieri, attritionem verò internam bonam, & supernaturalem ad eiusmodi finem nullo modo conducere, nec ob illum extrinsecè elici, ab eoque vitari: hoc, inquiunt praefati authores, momenti non est; siquidem esto attritio interna, & supernaturalis ad finem inanis gloriae, bonamque opinionem apud confessarium assequendam extrinsecè, & directè non conducit; mediata tamen & indirectè ad eum finem conducit: confessio enim externa ad eum immediatè, & directè conducit: attritio autem ad confessionem externam ponendam conducit immediatè, & directè; quia sine illa hic & nunc confessio non poneretur; nec poenitens confessionem externam sacrilegam, & attritionem internam minimè informatam vanae gloriae, & opinionis gratia vllatenus eligeret: quare de primo ad vltimum, vt aiunt, attritio interna ad finem vanae gloriae, & opinionem bonam consequendam mediata conducit; ac proinde ab illa extrinsecè quidem, sed tamen propriè vitari poterit. Hac Ripalda & alij. Quos ego verissime opinari opinor: qua parte statuunt, actum bonum, & supernaturalem oriri posse à fine prauo, quem non respiciat intrinsecè, sed tantum extrinsecè. At quod aiunt, eum ab illo propriè, ac simpliciter vitari, id mihi valde displicet. Deus enim nequit esse author vllius effectus propriè mali, in eoque complacere: at non potest non esse author actus boni, & supernaturalis, in eoque complacere: haud ergo potest actus bonus, & supernaturalis denominari propriè malus ratione finis mali, quem extrinsecè respicit. Quapropter ab eo non nisi secundum quid, & impropriè vitiosus poterit denominari, vt agens de act. human. ex professo ostendi.

CAP

CAPVT II.

*An finis moueat secundum esse reale, vel
potius secundum esse intentionale; &
an causa finalis sit propriè,
& strictè causa?*

4. **A** Ut, quod perinde est, in quo esse; reali, vel intentionali; bonitate cognita, & amata, vel potius cognitione ipsa, & amore sita sit virtus motiua, & causatiua finis, causae finalis? Prima sententia est, virtutem motiuam, seu causatiuam finis, causamve finalem non in esse reali, & physico, sed in solo esse intentionali sitam esse: haud secus ac cum aqua calida calefacit, virtus calefactiua, totaque ratio calefaciendi non in entitate aquae, sed in calore consistit. Ita Auicenna 6. Metaphys. cap. 5. Hurtadus de anima disp. 13. sect. 3. Soncinas 5. Metaphys. quaest. 3. & cum eo per plures Thomistae, praesertim neother ci. Secunda sententia est, virtutem causatiuam, & motiuam finis, causamve finalem in solo esse reali, & physico finis consistere, & esse apprehensum, siue apprehensionem bonitatis obiectiuae finis esse meram conditionem, sine qua bonitas obiectiua non moueret: haud aliter ac applicatio ignis; eiusque versus passum approximatio non tam est virtus effectiua, causae efficiens, quam mera conditio, sine qua ignis non efficeret. Ita Auerroës 11. Metaphys. commento 36. Scotus in 1. d. 1. quaest. 4. Caietanus, & Ferrara, Okamus, & Gabriel, Suarez, Ariaga, & alij. Verum inter has sententias extremè oppositas media quaedam eligenda est, & virtus motiua, seu causatiua finis, causaeque finalis, siue motiua, nec in solo esse reali, nec in solo esse intentionali, sed in vtroque collocanda est.

5. In primis cognitionem ipsam sanitatis verbi gratia rationem causae finalis, & motiuae sortiri, & ad amorem finis, & mediorum simpliciter mouere suadeo. Primò: quia mouere intentionaliter voluntatem ad amandum, est eam intentionaliter dirigere ad amandum: haud secus ac dirigere physice sagittam verbi gratia est eam mouere, & versus scopum aliquem impellere: at cognitio bonitatis obiectiuae finis ad eius amorem dirigit: ergo & mouet; ac proinde rationem causae motiuae, & finalis sibi vindicat. Secundo, quia omnium consensu praemissa ad conclusionem mouent: ergo à simili cognitio finis, &c. Tertiò, quia gratia praeueniens hominem ad consensum mouet, iuxta illud Concilij Tridentini sess. 6. cap. 16. can. 4. *si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nil cooperari*, &c. at gratia praeueniens in illustratione intellectus, & pia affectione voluntatis consistit: igitur illustratio intellectus, siue cognitio alicuius bonitatis obiectiuae, & finalis propriè mouet.

6. Rursus bonitatem obiectiuam finis ad amorem ipsius finis, & mediorum ad finem conferentium mouere, ac rationem causae motiuae, & finalis sibi vindicare suadeo. Primò, quia id mouet voluntatem ad amorem mediorum, cuius gratia voluntas media eligit: at gratia bonitatis obiectiuae, finis verbi gratia sanitatis secundum eius esse reale voluntas media ad sanitatem vtilia

eligit: ergo &c. Minor perspicua est, quia voluntas non eligit media ad consequendam cognitionem sanitatis, siue gratia illius, ut pote quae sine mediis praehabetur, & quae esto addit, ad leuandam aegritudinem inutilis est: igitur voluntas ad consequendam ipsam sanitatem, & gratia sanitatis secundum eius esse reale media eligit. Secundo, quia obiectum voluntatis in motiuum, & terminatiuum diffecari consuevit: sicut ergo obiectum secundum esse reale, & physicum amorem terminat, ita etiam secundum idem esse eum mouere poterit; atque adeò finis secundum esse reale, &c. Tertiò, quia in creatis id, quod est finis voluntatis rationem causae motiuae, & finalis suo quasi iure sibi asserit; sicut quod est materia, rationem causae materialis; & quod est forma, rationem causae formalis sibi vindicat: at sanitas verbi gratia secundum esse reale finis voluntatis est; siquidem finis est id, quod propter se amatur, & cuius gratia cetera amantur: sanitas autem secundum esse reale propter se amatur, & propter eam secundum esse reale obtinendam media amantur.

7. Obiicies tamen primò pro prima sententia initio capituli memorata: Cum quis finem impossibilem, & chimericum, alium Deum verbi gratia amori suo praestituit, eiusmodi finis voluntatem mouet: at non secundum esse physicum, & reale, quo prorsus destituitur: ergo duntaxat secundum esse cognitum, fictumve. Rursus omnis causa, siue virtus causatiua existentiam ad causandum postulat; at ut finis moueat; & in genere causa finalis ad electionem mediorum concurrat, non petit existeret secundum esse reale; & quod plus est, non potest: alias electionem mediorum existentia per ea intenta antequam esset: igitur finis secundum esse reale, & physicum rationem causae finalis, siue motiuae sibi non vindicat, sed praecise secundum esse cognitum, & intentionale, quod nunquam non existit, quoties finis mouet, munusque; causa finalis exercet. Praeterea id censeretur virtus causatiua finis, siue causa finalis, & motiua, per quod constituitur formaliter finis in ratione finis: at finis constituitur formaliter in ratione talis per solam cognitionem, & amorem, siue per solum esse intentionale: ergo &c. Maior perspicua videtur. Minor probatur: quia idem est, aliquid esse finem, ac esse cognitum, & amatum propter se: at cognitum, & amatum propter se constituitur formaliter in ratione talis per solam cognitionem, & amorem: ergo etiam in ratione finis. Ad primum respondeo, per esse physicum, & quodammodo reale à nobis intelligi esse saltem inadaequatè distinctum à cognitione, & complacentia: hac autem ratione finis chimericus sortitur esse physicum, quod causa finalis esse possit. Ad secundum respondeo, maiorem in solis causis physicis veram esse, causamque finalem, siue intentionalem ex genere suo nequitiam postulare existentiam ad hoc, ut causet. Ad tertium respondeo, aliquid esse finem est illud esse bonum, cognitum, & amatum propter se: at aliquid esse bonum cognitum, & amatum propter se constituitur formaliter non solum per cognitionem, & amorem, esse ve intentionale, sed etiam per bonitatem sibi intrinsecam, & essentialem, siue per esse reale: quare maior argumenti concedenda, minor verò neganda est.

8. Obiicies pro secunda sententia initio capituli proposita:

proposita: id solum est causa finalis, & motiua, siue virtus causatiua finis, quod est formaliter finis: haud aliter ac id solum est causa materialis, aut formalis, quod forma, & materia, siue subiectum est: at sola sanitas verbi gratia secundum esse reale, non verò cognitio sanitatis est formaliter finis: siquidem id solum est formaliter finis, quod voluntas primò intendit, sanitas autem, non eius cognitio à voluntate intenditur. Deinde mouere est aliò impellere: at bonitas obiectiua finis voluntati proposita eam ad se trahit, eamque aliò non impellit, in quo differt à veritate obiectiua: ergo bonitas illa voluntatem non mouet; ac proinde, &c. Ad primum respondeo in primis, non semper id solum, quod finis est, rationem causae finalis fortitur: sicut etiam non solum id, quod materia est, aut etiam materia constat, rationem causae materialis subire: siquidem animus, & Angelus causae materiales suarum proprietatum, & accidentium à nobis admittuntur, cum tamen neuter materia sit, eae coalescat. Vnde quamuis sola bonitas obiectiua finis sit, non verò eius cognitio, & complacentia; non propterea sola illa causa finalis censenda. Deinde verum esto, si maius, id quod finis est, rationem causae finalis subire: ceterum illud etiam quod formaliter finem constituit, causa finalis dici debet: cum ergo cognitio, & complacentia finis formaliter constituat, causa finalis dici poterit: at hæc ratio non militat in materia, & forma, cum nihil materiam formaliter constituat, quod materia non sit. Ad secundum respondeo, mouere est impellere quomodolibet, & siue ad se, siue ad aliud: quæ ratione magnes ferrum mouere dicitur, quamuis illud non aliò, sed versus se impellat.

9. Porro autem, vt ad dubium titulo capitis secundoloco positum deueniam, causam finalem esse propriè, strictèque causam suadeo: siquidem finis in tantum causat, in quantum per cognitionem, aut amorem causam efficientem ad agendum mouet, & applicat: at hoc pacto mouere, & applicare est verè causare: igitur causa finalis vera causa est. Minor probatur: quia mouere causam efficientem ad productionem effectus est mouere ad existentiam effectus à causa efficiendi; ac proinde absolute mouere ad existentiam effectus: at mouere absolute ad existentiam effectus est tribuere existentiam effectui, siue influere existentiam in effectum: ergo causa mouens, & applicans causam efficientem ad productionem effectus verè influit esse in effectum, siue in esse effectus verè influit, sicut ad rationem veræ causae requiritur. Confirmatur, & declaratur: effectus verè pendet à cognitione, & amore, & ab iis oritur, vt omnes farentur: ergo etiam cognitio & amor in effectum esse influit, sicut ad rationem veræ causae requiritur: cum ergo cognitio, & amor in genere causae finalis concurrant, &c.

10. Verum enim verò explicandum restat, quatenus causa efficiens à reliquis tribus causarum generibus minimè differat, si reliqua tria non minus quàm efficiens veræ causae sint: formalis quidem, & materialis, vt tract. præcedenti manet demonstratum; finalis verò, vt in præsentī statuimus. Causa ergo efficiens est, quæ tribuit esse effectui, quem non constituit, & ad quem non moueat, aut dirigat: quare causa materialis, & formalis compositum non efficient; quia intantum ei

esse tribuunt, in quantum illud constituunt. Quod si totum à suis partibus realiter non distinguatur, adhuc facilius est discernere causam materialis, & formalis ab efficiendi; quia causa formalis, & materialis esse à se indistinctum; & causa efficiens esse à se distinctum effectui tribuit: causa autem finalis ab efficiendi differt, quia causa finalis ad existentiam effectus dirigit, & mouet, eam verò non efficit: dirigere autem, & efficere ex terminis diuersa sunt. Confirmatur, quia si aliqua de causa iuxta nostram sententiam causa formalis, materialis, & finalis ab efficiendi non differrent, maximè quia esse verè influunt, & communicant: at hæc ratio nulla est, alias Pater æternus Filius causa efficiens esset. Quare sicut hoc, quod est influere, siue tribuere esse cum aliqua limitatione, sumi solet, & debet; ratione cuius Pater æternus Filium non efficiat, esto esse in eum influat: ita similiter cum aliqua limitatione sumi debet; ratione cuius causa materialis, formalis, & finalis causata causa non efficiant, siue causae efficientes non sint, quātumuis esse verè influant, & communicent: ea autem limitatio est, quæ à nobis proximè supra tradita est.

CAPVT III.

Quos effectus Finis sibi vendices?

Cum quis finem aliquem consequi studet, varios habet actus: primus est simplex complacentia finis: secundus amor eius efficax: tertius electio mediæ ad eum necessarij: quartus executio ipsius finis: quorum actuum quis sit effectus finis, & à qua causalitate ab eo dependeat, in præsentī disputari potest. Quod ad primum attinet, communiter dubitatur, an affectus ipsius finis siue efficax, siue inefficax sit, effectus finis sit. Pater Vasquez 1. 2. disp. 4. cap. 2. negat: primò, quia finis est cuius gratia, siue vt explicat Arimennsis cuius amore aliquid fit: atque adeo id erit effectus finis, quod ex amore finis procedit: at complacentia, aut amor finis ex amore finis minimè procedunt; cum complacentia finis eius amorem præcedat, amorque finis se ipsum necessario concomitetur. Secundo, quia si amor ipsius finis esset effectus finis, amare bonitatem obiectiuam finis propter se esset operari propter finem: vnde belluæ propter finem operari possent, siquidem bonum delectabile propter se appetunt: cum ergo belluæ propter finem operari nequeant, ideo erit, quia sola electio mediorum est effectus finis, solumque eligere media ad finem vtilia est operari propter finem; belluis verò ad eiusmodi electionem iudicium de conducentia mediorum ad finem omnino deest.

Verum cum P. Suarez disput. 23. Metaphys. sect. 3. probabilius mihi videtur, affectum finis eius effectum esse, siue cuiusmodi affectus efficax, siue inefficax sit: quia finis est omne id, quod propter se amatur: at finis propter se amatur seorsim ab electione mediorum, & pro priori ad illam: ergo finis seorsim ab electione mediorum, & pro priori ad illam propriè finis est, rationemque, & officium causae finalis exercet: cum ergo pro eo priori rationem causae finalis respectu electionis exercere nequeat, eam proculdubio exercebit comparatione

comparatione intentionis ipsius finis, hæcque eius effectus censendus est. Secundo idem suadeo, quia omnis actio humana, & deliberata est effectus finis, siue propter finem, ut omnes Theologi docent cum D. Thoma 1.2. qu. 1. art. 1. corp. ibi: *obiectum autem voluntatis est finis, & bonum; unde oportet, quod omnes actiones humanae propter finem sint.* Ad primam rationem oppositam: fieri aliquid gratia alterius, sicut ad effectum finis oportet, non est præcisè fieri amore alterius, sed etiam fieri ob bonitatem alterius cognitam: cum ergo amor finis ob bonitatem eius cognitam fiat, sanè gratia finis fiet, eiusque effectus censendus est. Ad secundam rationem: cap. 5. perspicuè constabit, cur bellum propter finem non operentur, ut vt amor finis eius effectus sit.

13. Secundo dubitari solet: an electio mediorum sit propter finem, eiusque effectus? Nonnulli, quos suppressis nominibus citat Arriaga d. 8. Physic. sect. 7. censent, electionem mediorum non esse propter finem, eiusve effectum; solumque id convenire posse in executionem mediorum, quia solum id est effectus finis, eumque propter, quod amatur propter finem, velut vtile ad eius consecutionem: at electio mediorum hac ratione non amatur, sed potius per eam media amantur. Verum hic loquendi modus (de re enim constat) sequendus non est, quia id est effectus finis, eumque propter esse potest, quod ex intentione finis causatur: at electio mediorum ex intentione finis causatur: equidem, sicut conclusio formalis est propter obiectum præmissarum, quia ex assensu illius obiecti oritur, quamvis alium assensum reflexum non terminet, quo quis conclusioni formali propter præmissas assentiat, ut compertum est; ita similiter, ut electio mediorum sit propter finem, opus non est, ut terminet amorem aliquem reflexum, quo tanquam vtilis ad finem ametur. Tertio dubitari solet; an executio ipsius finis sit effectus finis, siue propter finem? Haud pauci negant, quia finis, iuxta Aristotelem, est, cuius gratia cætera sunt: at finis ipse inter cætera, siue alia à se numerari nequit: ergo finis non definitur causa sui, sed causa aliorum à se; ac proinde non sui, sed aliorum causa esse poterit. Deinde si executio finis esset effectus finis, finisque causa sui ipsius; pari ratione causa efficiens sui ipsius causa esse posset: consequens autem absurdum est. Verum oppositus sentiendi, & loquendi modus communior, veriorque est: qui enim finem executioni mandat, eum exequitur propter aliquid; sicut etiam media propter aliquid exequitur: alias magis temere, & inconsulte finem ipsum, quam media ad finem exequeretur: igitur executio finis propter finem, eiusque effectus est. Cum autem finis definitur id, cuius gratia cætera, videlicet media, sunt, ibi implicite asseritur, ipsum finem fieri gratia sui; cum fieri finis, & fieri mediorum ad finem essentialiter coniuncta sint. Deinde, ideo nihil causa efficiens sui metipsum esse nequit, quia causa efficiens ad causandum præviè existere postulat: quare si aliquid se ipsum causaret, existeret prius, quam existeret: hæc autem ratio in fine non militat, cum existentiam ad causandum minime postulet.

CAPVT IV.

Quam causalitatem finis sibi vendicet?

14. Causalitas, siue actio causæ finalis nihil aliud est, quam dependentia illa, qua complacentia finis ab eius cognitione, amor à complacentia, electio ab amore finis, vniusque medij electio ab electione alterius dependent, ac diriguntur. Porro directionem hanc actualem, seu causalitatem finis nonnulli collocant in coexistentia, & aggregato actus dirigentis, & actus directi. Cæterum impugnantur primò: quia stat optimè existere actum dirigentem, & actum directum in eodem instanti reali, quin alter ad alterum dirigat, eumve in actu secundo regulet: actualis igitur directio, & causalitas finis in ea coexistentia non consistit. Consequentia est perspicua. Antecedens probatur: nam potest quis immemor alicuius finis v. g. sanitatis eligere deambulationem gratia alterius finis, & in eodem instanti reali pro posteriori signo rationis recordari prioris finis, nempe sanitatis, eiusque cognitionem, & complacentiam habere: quæ enim in hoc euentu repugnantia, aut contradictio? At tunc daretur coexistentia vtriusque actus absque directione alius ad alium, siue causalitate finali: neque enim fieri potest, ut cognitio, & complacentia finis vilius dirigant ad electionem se natura priorem.

15. Alij secundo eandem sententiam cum moderatione aliqua sequuntur, & existimant directionem actualem, causalitatemque finis, præter coexistentiam iam iam explicatam ulterius involvere voluntatem, qua Deus ex prævisione actus dirigentis concursum præparet, & exhibeat ad actum directum. Verum hæc sententia, licet difficultatem superioris argumenti effugiat, duobus tamen argumentis impugnatur: nam nulla causalitas naturalis superat perfectionem causæ, cuius causalitas est, ut per causalitatem causæ efficientis materialis, & reliquas discurrenti constabit: directio igitur in actu secundo, siue causalitas causæ directiue perfectionem causæ directiue non superat: superaret autem, si actum dirigentem, & actum directum, & quod caput est, diuinam voluntatem concursus sui præparatiam comprehenderet: igitur in eo aggregato collocari non debet. Rursus secundo: actio causæ efficientis in simili aggregato causæ, & effectus adiuncto actu aliquo diuinæ voluntatis constitui posset; quod tamen ipsi aduersarij inficiantur. Dices, hoc postremum non sequi; quoniam assignari nequit obiectum diuinæ voluntatis constituentis simul cum causa, & effectu actionem causæ efficientis, nisi ea voluntas se ipsam velit: haud enim vult solum causam, & effectum; dum influxum causæ in effectum vult: hæc enim duo simul reperiri possunt, absque influxu illo vnius in alium: in quid igitur ea voluntas fertur, nisi in se ipsam feratur, hunc in modum: *volo me ipsam*, quo nihil absurdius, aut ad agendum inutilius dici, vel excogitari potest? At obiectum diuinæ voluntatis, quæ directionem in actu secundo constituit, facile explicatu est; siquidem est actio causæ efficientis, videlicet voluntatis;

aut intellectus actum directum producentis: actio, inquam, illa à Deo volita ex prauisione actus dirigentis.

16.

Impugnatur tamen hæc euasio: quia eadem ratione dici posset, obiectum voluntatis constituentis actionem causæ efficientis, actum intellectus verbi gratia esse causalitatem causæ directiue, quæ in modo consistat: igitur ubi vnus actus sine modo ad alium dirigat, actio effectiua in aggregato, & non in modo superaddito collocanda est. Impugnatur secundo, quia actus dirigens, & actus directus, & actio effectiua actus directi simul existere possunt, absque eo quod alter actus ad alium in actu secundo dirigat, vt numero superiori probauimus: igitur cum Deus vult eam directionem in actu secundo, modum aliquem ab his tribus distinctum vult: aut si eandem directionem constituit, quin eam directè velit, sed potius tria illa speciali modo, quem aduersarij cum dependentia illa ex prauisione diuina explicant: ita similiter actio causæ efficientis diuina voluntate constitui poterit, nimirum si ea voluntas concursus causæ efficientis solum constituat, & non velit, tantumque causam & effectum speciali aliquo tendendi modo velit, & decernat. Tertiò non defuere qui cum P. Ripalda tom. 1. de ente supernat. disp. 48. directionem actualem in prædicto aggregato trium illorum conceptum, & vltèrius in defectu quodam conditionato constituent; vt actus tunc dirigere censeatur; cum insuper verum est, actum directum defuturum, si actus directius deficeret, tunc autem non dirigere; cum verum est, non defuturum, esto actus directius abesset. Hæc sententia iisdem fermè difficultatibus, quibus superior, obnoxia est; vt eas huc applicanti constabit. Deinde ideo actus directus deficeret in absentia actus dirigentis, quia ab eo pendet, ac dirigitur: igitur potius defectus ille conditionatus in ordine ad dependentiam ac directionem actuum, quam è diuerso explicari debet. Præterea aliud est, esse occasionem, aliud esse causam: defectus autem conditionatus vnus actus respectu alterius facere potest, vt alter alterius occasio, non verò causa sit.

17.

Alij aliter rem explicant, & autumant actum directum produci efficienter per actionem essentialiter pendente ab actu dirigente, quoties hic dirigit. Contra tamen primò: quia actio productiua actus directi, & finaliter causati essentialiter pendet à causa materiali, & etiam à causa efficiendi: & tamen neutra ad eum in actu secundo dirigit, sed altera eum efficit, & altera eum recipit: quamuis igitur ea actio à cognitione & complacentia finis essentialiter pendula sit non propter ea eiusmodi cognitio, & complacentia ad eam dirigent. Rursus: si actus intellectus, & voluntatis in actione consistent, vt plures aduersarij censent, fiet sanè ex contraria sententia, actum dependentem ab vno fine, non posse etiam diuinitus pendere, aut dirigi ab alio, à quo antè non dependebat. Consequens autem videtur absurdum. Sequela probatur: nam actio, quæ semel essentialiter non pendet ab aliquo, nunquam potest essentialiter ab eo pendere, cum essentialiter rerum sint inuariabiles: atqui directio, qua de aginus, in ea dependentia essentiali, iuxta contrarios, sita est: qua ergo directione semel caruit effectus finalis, eam nunquam postea poterit sortiri. Atque hinc

obiter sit, ex eadem sententia inferri, innumeras esse definitiones, diuisiones, & argumentationes, descriptiones, ac demonstrationes in materia aliarum scientiarum, omnino irregulares, & à Dialectica minimè dirigibiles: etenim in aliis scientiis plures intellectiones (quæ, vt i supponimus disputandi gratia, actiones sunt) essentialiter non pendent ab actibus Dialecticæ, eæ videlicet, quæ absque directione Dialecticæ de facto fiunt: igitur plures se ipsis ab actibus Dialecticæ essentialiter pendere nequeunt, ac per consequens neque ab iis dirigi: quod tamen quis incredibile non censeat? Postremo alij directionem istam, causalitatem que finis in ente rationis, & fictitio constituunt: quorum tamen opinionem lib. 2. Dialecticæ abundè profligauimus.

18.

Nostra sententia sit, directionem istam actualem consistere in modo quodam vero, & reali, qui inter actum dirigentem, & actum directum medius, & hoc prior, illoque posterior sit: haud aliter ac causalitas causæ efficientis in modo distincto communiter constituitur. Porro inter hos modos non vnum discrimen interuenit: nam primò munus vnus est efficere, alterius verò dirigere, ac mouere, quæ longè diuersa apparent: secundo alter est necessarius ad existentiam effectus, alter solum utilis, & proficiuus: tertiò vnus circa solum effectum versatur, alter verò circa effectum, & eius effectiorem, ad eam dirigendo, & mouendo. Tandem alter simpliciter facit, alter secundum quid duntaxat: vtriusque natura ex sequentibus obiectionibus amplius elucescet.

19.

Obiicies primò: actio illa directiua, cum sit ens reale, realiter producit: sed non per aliam actionem, ne detur actionis actio, & sic in infinitum procedamus: igitur per se ipsam producit, ac efficitur: igitur est actio causæ efficientis: falso igitur directio in modo ab actione causæ efficientis distincta constituta à nobis est. Respondeo, dari posse actionis actionem distinctam, in diuerso tamen genere: nam actio intentionalis, amor scilicet, & cognitio per actionem physicam à se distinctam, iuxta innumeros Authores, producit: causalitas etiam causæ materialis, siue passio per actionem effectiuam à se distinctam, iuxta non paucos probabiliter opinantes producit. Denique in diuinis generatio passiuæ Filij; siue, quæ perinde est, ipsa filiatio per generationem actiuam, nimirum paternitatem verè producit: cur ergo actio directiua per actionem effectiuam à se distinctam produci nequeat absque vilo progressu in infinitum? qui tantum locum habet, cum vna actio per aliam eiusdem generis producit, effectiua v.g. per aliam effectiuam: non enim potior est ratio, cur prima effectio secundam, quàm secunda tertiam, tertia quartam, & sic in infinitum terminent: omnes namque similes sunt.

20.

Obiicies secundo: cum ex cognitione alicuius obiecti illud voluntas liberè amat, directio cognitionis ad amorem ab actione effectiua amoris indistincta est: igitur idem seruata proportionem dicendum est de actibus non liberis, quoties alij ad alios dirigunt. Consequentia videtur bona. Antecedens probatur, nam directio illa in actu secundo non est posterior effectiue amoris; aliàs tarda, & inutilis foret: nec illa est prior; aliàs euertetur libertatem talis actionis effectiue amoris, qua nimirum prior est, & cum qua aliunde essentialiter connexa est; eo quod amor

amor dirigi in actu secundo, & non effici, ne diuinitus possit: igitur necessario effectiorem amoris concomitatur, ac proinde cum illa identificatur: cur enim, si distinctæ essent, prius natura, ac posterius existere nequirent? Respondeo, me non inficiari actionem directiuam alicuius actus, & actionem eius effectiuam in eandem coalescere, verum id non ex natura, & conceptu actionum, sed ex natura peculiari actus, & eius libertate oritur: proinde non est, cur in actibus suapte natura non liberis actio eorum effectiua, & directiua non distinguantur.

CAPVT V.

Qua agentia propter finem operentur?

21.

Creaturam rationalem, qualis est homo, & Angelus, propter finem operari omnibus exploratum est: vnde tota huius capitis controuersia ad Deum, & creaturas insensibiles, & irracionales reuocatur. Pro quibus prima assertio sit, Deus operatur propter finem. Hæc assertio suadetur primò ex sacra pagina: *uniuersa propter semetipsum operatus est Deus.* Prouerb. 16. & alibi sæpe. Secundò quia operari propter finem inuoluit perfectionem simpliciter simplicem, id est omnis imperfectionis expertem: illud autem catholicè controuerti potest, quæ operationes Dei sint propter finem, immanentes, an transeuntes? eæ uero, quæ ad extra sunt, an potius eæ, quæ ad intra sunt, nimirum volitiones ipsæ Dei, quibus aliquid intendit, aut eligit? Communior Scholasticorum sententia est, solas priores operationes Dei esse propter finem, posteriores uero, nempe volitiones Dei, non esse propriè propter finem, sed propter rationem formalem: quod multipliciter suaderi potest. Primò, quia finis est cuius gratia aliquid fit: atque adeo id solum propriè propter finem esse potest; quod propriè fieri potest: at uolitio Dei immanens id cum reliquis prædicatis Dei commune fortitur, quod fieri propriè nequeat; iuxta illud Symboli: *genitum, non factum.* Deinde finis, & causa finalis generaliter fando in idem coincidunt: sicut forma v. g. & causa formalis in idem recidunt: at diuinæ volitionis nulla causa finalis esse nequit: siquidem diuina voluntas vno, eodemque realiter actu finem intendit, & media eligit: vnde diuina intentio tam nequit esse causa finalis diuinæ electionis, quam idem nequit esse causa sui ipsius.

22.

Verum oppositum longè probabilius arbitror: tum quia cum finis definitur, cuius gratia aliquid fit, ly *fit* non de actione physica, sed de intentionali, & affectiua explicari debet, ut sensus sit, finem esse cuius gratia aliquid amatur, aut quod gratia sui amatur: at Deus à semetipso gratia sui amatur, idque antequam aliquid ad extra operetur: igitur finis est, munusque finis exercet, antequam ad extra quidquam operetur; atque adeo in ordine ad operationes suas ad intra: quo fiet, ut hæc propter finem non esse nequeant. Tum quia uolitio interna Dei ad eius infinitam, summamque bonitatem propter ipsam terminatur, ut certo certius est, ergo illam respicit non solum tanquam rationem formalem, ut aduersarij philosophantur, verum etiam tanquam finem: alio-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

qui pari licentia dici posset, creaturas à Deo produci propter semetipsum, tanquam propter rationem formalem, non uero tanquam propter finem: vnde nullum nobis suppeteret fundamentum ex sacris literis ad probandum, Deum operari propter finem: quod enim asserunt Deum omnia propter semetipsum operari, & similia testimonia nō de fine, sed de ratione formali explicari possent. Tum quia in creatis principium produciens realiter, & causa efficiens reciprocantur, & tamen in Deo minime recurrunt, ut in mysterio Trinitatis cernere est: igitur quamuis in creatis principium finale, ut ita loquar, siue finis cum causa finali conuertatur (quod etiam falsum esse cap. 2. ostendimus) ceterum in diuinis non coincident: atque adeo uolitio Dei interna propter finem esse poterit, quin causam finalem sortiatur. Tum demum, quia causa finalis est causa intentionalis, & iuxta plerisque aduersarios impropria, & metaphorica: igitur quamuis ex eo, quod diuinæ volitionis diuina bonitas finis sit, rectè inferatur, aliquid esse causam finalem sui, nihil absurdi inferri, aut deduci poterit, ut cap. 3. propè finem exposuimus.

Secunda assertio sit: agentia naturalia, & insensibilia non operantur propter finem, qui respectu illorum finis sit, siue ad quem ipsa se moueant, aut determinent. Probatur assertio, quia nullum agens potest operari propter finem, ad eum se mouere, quin illum cognoscat, & intendat: at agentia naturalia, & insensibilia nullum finem cognoscere, aut intendere possunt: ergo &c. Maior probatur, quia, si quis amico poculum veneno temperatum propinet, inscius mali, quod propinat; is sanè neutiquam poculum illud amico propinabit eo fine, ut mortem ascescat; nec amici mortem uoluit finem sibi præstituet, quantumuis aliquid ad mortem amici utile ponat: non alia ratione, nisi quia mortem amici ex ea actione sequitur: minimè cognoscit, aut intendit: igitur nullum agens potest operari propter finem, quin eum cognoscat, & intendat: enim uero agentia naturalia operari possunt propter finem, non qui finis sit respectu illorum, sed qui finis sit respectu agentis primi; & in quem non ipsa se agant, aut moueant, sed in quem à primo agente per intellectum, & voluntatem agantur, & moueantur: quo spectat tritum illud axioma, *opus nature est opus intelligentia: & illud effatum Aristotelis 4. de generat. animal. capite 4. omnia, quæ natura, vel arte sunt, ratione aliqua sunt.*

Assertio tertia sit: bruta non operantur propriè propter finem, qui respectu illorum finis sit. Probatur assertio, quia agens, quod operatur propter finem, rationem aliquam habet eius, quod operatur: cum finis ratio motiua, siue ratio propter quam definiatur: at bruta propriè loquendo nullam habent rationem eius, quod operantur: ergo propter finem propriè non operantur. Minor probatur, quia cum bruta irrationalia, & ratione carentia sint; sanè eius, quod operantur, nulla ratio propriè sumpta ab iis exigi potest: quo arguendi genere usus est Bernardus serm. 81. in cant. ubi de brutis ita loquitur: *inde est, quod non indicantur, quia non indicant; quoniam quippe ratione ab iis exigatur ratio, quam non acceperunt.* Rursus: si belluæ propter finem operari possent, vnum propter aliud velle, & amare possent,

S 2

possent,

possent, cum finis definiatur is, cuius gratia, siue propter quem aliquid amatur: at belluæ vnum propter aliud amare, aut velle non possunt: ergo &c. Minor probatur, quia si belluæ vnum propter aliud amare possent, similiter etiam vnum propter aliud cognoscere possent: at vnum propter aliud cognoscere nequeunt, alias discursuæ, & rationales forent; cum discurrere aliud non sit, quam aliquid cognoscere propter aliud prius cognitum. Quamuis autem Porphyrius libr. 3. de abstinentia, & Plutarchus in dialogo, qui inscribitur quod brutis ratio inest; & apud eundem Plutarchum lib. 5. de placitis cap. 2. Pythagoras, & Anaxagoras rationem brutis concesserint, id tamen omnino irrationabile est; & non solum rationi, verum etiam fidei contrarium. Sequela vero perspicua est, quæ enim vtrinque disparitatis ratio est? aut cur eo ipso, quod vis appetitiua bruti non minus perfecta sit, quam eius vis cognoscitiua, sicut per illam vnum velle, & appetere propter aliud potest, per hanc vnum cognoscere propter aliud nequeat?

25. Præterea, quamuis intellectus ab apprehensione vnius obiecti ad apprehensionem alterius gradum faciat, tamen intellectus per solas apprehensiones propriè non discurret, nimirum ob imperfectionem apprehensionis, & quia ad perfectionem iudicii non accedit; & quamuis belluæ ex natura sensitiua vnius obiecti ad alterius notitiam perueniant (quod aduersarij diffiteri non possunt, cum belluas ex appetitione vnius obiecti ad appetitionem alterius procedere non renuant) quamuis, inquam, belluæ ex natura vnius obiecti ad notitiam alterius procedant, tamen propriè non discurrent, nec ratiocinantur ob imperfectionem notitiæ sensitiuæ, & quia ad perfectionem notitiæ spiritualis non accedit: igitur similiter, quamuis belluæ ex appetitione præuiæ vnius obiecti ad appetitionem alterius procedant; vna tamen appetitio intentio finis, & alia appetitio electio medijs appellari non poterunt; nimirum ob imperfectionem appetitionis sensitiuæ, & quia ad perfectionem appetitionis spiritualis, siue volitionis non accedit.

26. Tandem, si bruta possent operari propter finem, ex præuiæ cognitione & amore alicuius boni moueri, seu dirigi possent ad amorem mediorum, quæ ad eius boni consecutionem vtilia sunt; sicut in hominibus propter finem operantibus vsu venit: at bruta ex præuiæ cognitione, & amore alicuius boni ad amorem mediorum vtilium moueri nequeunt. Primò, quia sicut hirundo verbi gratia hinc indeque volitat, paleas colligit, aliâque ad nidificandum vilia peragit: ita similiter ad vitæ sustentationem alimenta necessaria conquirat: at ex præuiæ cognitione, & amore vitæ alimenta ad vitam necessaria non conquirat, cum quid sit vita, penitus ignoret: ergo neque ex præuiæ cognitione, & amore nidi &c. Secundò quia aues nonnullæ futuram tempestatem longè ante declinant, & fugam ad id vtilem, & necessariam capiunt iuxta illud Virgilij 1. Georgicor. ibi.

*Nunquam imprudentibus imbor
Obfuit, aut illum surgentem vallibus imis
Aerie fugere grues &c.*

27. At non, quia præuiam eius cognitionem habeant; alias certiorum futurorum cognitionem & notitiam, quam homines haberent, meliusque sibi providere possent: igitur similiter aues alia

ad consequendum bonum aliquod vtilia peragentes ex præuiæ cognitione, & amore eius boni non mouentur: haud aliter ac ex præuiæ cognitione, & metu alicuius mali cum neuti quam declinant, vt nunc nunc ostendi. Tertiò, quia arbor folia producit, quibus fructum nasciturum protegat, & ab eo coeli iniurias arceat; & tamen folia non producit ex præuiæ cognitione, & intentione finis illius, ad quem conducunt: vnde ergo colligi potest, belluas, cum nonnulla ad finem aliquem vtilia exequuntur, ex præuiæ finis intentione, & cognitione moueri.

Oppositam sententiam tueretur P. Rodericus disp. 8. Physicor. sect. 6. Primò, quia cum cani v.g. panis offertur, ex præuiæ cognitione, & appetitione panis oblatis porrigentem versus progressiue mouetur: igitur motum progressiuum tanquam medium vtile ad panem obtinendum eligit, atque adeo propter finem operatur. Antecedens suadetur, quia si ex præuiæ cognitione, & appetitione panis canis non moueretur; pari licentia dici posset, canem nil cognoscendo, aut appetendo agere; sed absque vilo appetitu elicit, aut cognitione operari: vel naturali pondere actum, haud secus ac grauia, & leuia in centrum feruntur: aut extrinsecus attractum; haud secus ac magnes à ferro attrahitur: quod & si nonnulli belluis ipsis magis belluini admiserint, sensui tamè repugnat, & quod caput est fidei, Isaia 1. ibi: *cognouit bos possessorem suum, & asinus praesepe Domini sui*. Secundò eadem sententia probari potest, quia cum hirundo v.g. colligit paleas, eas propter nidificandum colligit: ergo propter finem operatur. Consequentia probatione non eget. Antecedens probatur, quia collectio palearum iucunda, & delectabilis non est, sed potius molesta, & laboriosa: igitur ab hirundine propter se non appetitur, sed præcisè quia est vtilis ad nidi constructionem; atque adeo propter illam, tanquam propter finem: id quod sensisse videtur D. Thomas 1. p. q. 78. art. 4. ibi: *similiter avis colligit paleas, non quia delectat sensum, sed quia est vtile ad nidificandum*. Tertiò eadem sententia suaderi potest: quia complures volucres futuram tempestatem longè ante declinant: igitur eam præcognoscunt, atque adeo ex præuiæ cognitione, præuiæque metu alicuius mali media ad illud euitandum capiunt, sicut ad operandum propter finem oportet.

Ad primum respondeo: quatenus belluæ, esto cognoscant, & appetant, ex præuiæ tamen cognitione, & appetitione vnius obiecti aliud non appetant: & rursus quatenus, esto ita appetere possent, propter finem tamen operari non possunt, paulo supra ostensum est. Ad secundum respondeo cum P. Vasquez tom. 1. in 1. 2. q. 4. art. 2. actio illa colligendi paleas, quamuis nulli sensui exteriori delectabilis sit; & paleæ neque colore visum, neque sonore auditum, neque molliæ tactum, neque sapore gustum delectent: tamen eiusmodi opus respectu sensus interni delectabile est, atque adeo ab aue non gratia alterius, sed sistendo in ipso appeti potest: hoc autem genus internæ delectationis prouidentissimus author naturæ quibusdam obiectis sensui externo iniucundis annexere debuit, ne animantibus plura deessent, quibus fines suos consequi possent: & hac ratione D. Thomas exponendus est. Ad tertium respondeo, probabilius est, nullam futuram tempestatem præuiam cognitionem belluis inesse: quod verò ex Poëtis adducitur,

28.

29.

adducitur, poetice & improprie accipiendum est, Nec obstat, quod volucres futuram tempestatem infallibiliter declinent: siquidem id est, quia causa futura tempestatis, sicut aerum commouere, ac turbare possunt: ita & humores autem occulte mouere, & alterare possunt: humores autem ita alterati in iis apprehensionem excitant, qua fugam sibi commodam, & delectabilem apprehendunt; quare eam tempestatis inscie capessunt. Porro quatenus volucres aut tempestatem declinent, aut futuram etiam serenitatem aucupentur, quin alterutrum presentiant, solum ex eo quod illarum humores multis, mirisque modis praeuiter alterentur, non minus Philosophice, quam poetice explicuit Virgilius ubi supra Georgicor. I.

*Haud equidem credo: quia sit diuinitus illis
Ingenium: aut verum fato prudentia maior:
Verum ubi tempestas, & celi mobilis humor
Mutauere vias: & Iupiter humidus austris
Densat erant qua rara modo, & qua densa res
laxat.*

*Vertuntur species animorum: pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: hinc ille auium concentus in agris
Et lata pecudes, & onantes gutture corui.*



TRACTATUS XI.

De causa exemplari.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit exemplar?



ARISTOTELES de causa exemplari pauca egit, & ex professo non disputauit, eo quod illam ad aliquam quatuor causarum reuocandam esse supposuerit: qualis ergo sit causa, ad quam reductiue pertinet, & in quo eius natura collocanda sit, hic accurate examinandum est. Exemplar Latinis id sonat, quod Grecis idæa: verbum autem idæa ab *eideō* siue inspicio deriuatum significat id, in quod inspiciens artifex operatur iuxta Aristotelem 1. Met. cap. 7. text. 32. quem D. Thomas 1. p. q. 15. & cum eo reliqui Theologi sequuntur. Exemplar, siue idæa in solis creaturis rationalibus locum habet; neque bellæ exemplaria, aut idæas vllas sibi proponunt, vt perperam contendit P. Rodericus disp. 8. Physic. sect. 8. n. 88. tum quia vt ex definitione idææ, siue exemplaris ab Aristotele tradita constat, idæa, siue exemplar locum habet in solis iis agentibus, quæ arte polent: at ars, quæ suapte natura practica est, in bellis non reperitur, vt constabit ex dicend. in Met. lib. 7. tractat 5. cum de notitia practica egerimus: tum quia teste D. Thoma quæst. 3. de verit. art. 1. exemplar, siue idæa est forma, quam imitatur effectus ex intentione agentis determinantis sibi finem. At sola agentia rationalia finem sibi determinant; & bellæ non tam se ad finem determinant, quam à primo agente ad eum determinantur: ergo sola agentia rationalia.

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

alia, non verò irrationalia idæas, siue exemplaria sibi proponunt. Tum quia Clemens Alexandrinus libr. 4. Stromatum ex communi omnium sensu docet, mentem esse locum idæarum: at bellæ mente, & ratione destituta sunt. Tum demum, quia idæa passim à Patribus appellantur rationes rerum: at rationes rerum in irrationalibus locum habere non possunt. Porro autem ad idæam, siue exemplar proprie sumptum opus non est, vt illud libere imitetur artifex, vt nonnulli parum scite arbitrantur. Primò, quia siue definitionem exemplaris ab Aristotele traditam; siue eam, quam D. Thomas protulit; siue ea, quæ Patres communiter de idæis differunt, respiciamus, nulum fundamentum esse potest; vnde libertas idææ proprie sumptæ conditio esse colligi possit; gratis ergo ea conditio postulatur. Secundò, quia non est, cur Deus artificem creatum ad imitandum exemplar internum propriumque cogere, & necessitare non possit, sicut ad imitandum exemplar externum eiusmodi necessitas, & coactio proculdubio esse potest: igitur ad exemplar libertas non requiritur. Tertio quia idæa, aut est ars, aut certe cum arte coniuncta est, vt ex definitione idææ perspicuum est: at ad artem, siue notitiam practicam libertas non requiritur, vt in Met. cit. libr. 7. tractat. 5. edocebimus: cur ergo ad idæam siue exemplar ea requiratur?

Exemplar aliud est internum, aliud externum: utrumque indicauit Seneca epist. 66. ibi: *nihil autem refert, utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos, an intus, quod ipse ibi concepit, & posuit*: de priori loquutus est Boëtius de consolatione. metro. 9.

*Tu cuncta superno ducis ab exemplo pulchrum
Pulcherrimus ipse mundum mente gerens.*

De posteriori intelligendum est illud Exod. 25. *inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Quanquam autem non pauci censeant, hanc diuisionem exemplaris propriam esse: ceterum cum P. Suarez disputatione 25. Metaphys. sect. 1. numero 18. probabilius est, eam esse improprie, eo quod exemplar externum, quod visu percipitur; remotè improprie, & per accidens exemplar dici possit, remotè quidem, quia eatenus imago B. Mariæ à D. Luca depicta est exemplar ad aliam similem depingendam, quatenus imago illa ob oculos posita, & mente concepta excitat in mente, & regulat cognitionem imaginis, quæ depingenda est: imago verò depingenda prout ab intellectu cognita effectiōnem sui immediatè regulat, eiusque idæa, & ratio est, aut secundum esse cognitum, aut secundum esse reale, quod cognoscitur, vt cap. sequenti explicabitur: igitur exemplar externum non immediatè, sed mediatè, & remotè rationem exemplaris sibi vendicat: eo autem ipso, quod exemplar externum remotè tantum exemplar sit, solum improprie exemplar esse potest: sicut enim causa remota improprie tantum causa est, sic seruata proportionē exemplar remotum improprie duntaxat exemplar est. Deinde exemplar externum per accidens tantum exemplar est; cum enim præcisè ratione interni, & proprii exemplaris, cui deseruit, ad effectiōnem operis conferat; quoties sine exemplari externo idæa

S 3 interna